


XXIII. Si Triangulum sit laterum quorundam æqualium, perpendicularis à concursu laterum æqualium, bisecat basin & angulum basi oppositum: *Et contra. Vt, In Tri-*



*angulo laterum æqualium AB & BC. perpendicularis BD bisecat basin AC: & angulum basi oppositum ABC. Bisecat basin AC: quia si non bisecaret, sed caderet extra medium punctum D. verbi gratia, in E, non esset perpendicularis: quip-*

*pe non brevissima inter punctum B & rectam AC. Bisecat etiam angulum basi oppositum ABC & ejus mensuram AFC. quia anguli sunt ut latera, per 5. hujus.*

XXIV. Triangulum laterum quorundam æqualium est æquicrurum vel æquilaterum.

XXV. Triangulum æquicrurum est, quod duo tantum habet latera æqualia.

XXVI. Triangulum æquicrurum est ad basin æquiangulum, & contra: *per 5. hujus.*

XXVII. Triangulum æquilaterum (*per excellentiam ita dictum*) est, quod omnia latera habet invicem æqualia.

XXVIII. Triangulum æquilaterum est æquiangulum, & contra: *per 5. hujus.*

XXIX. Triangulum deinde est rectangulum vel obliquangulum.

XXX. Triangulum rectangulum est, quod vel unum habet rectum.

XXXI. In Triangulis rectangulis subtendens rectum speciatim hypotenusæ dicitur: includentia verò rectum, perpendicularum & basis: pro libitu. *Vt, in triangulis ABC, & DEF, latera AB & DE sunt hypotenusæ: BC & EF. perpendi-*